

Q. N. 357, 1b.

DE X 1860405

II f
660

Inscripta

LIBRO NATURÆ

Dei Existentiã

Disputatio Pnevumatica,

Quam
sub

VIRI AMPLISSIMI, EXCELLEN-
TISSIMI

DN. CHRISTIANI TRENTSCHII,

Log & Metaph. P. P. celeberrimi, Patroni ac
Præceptoris debitã observantiã
colendi

PRÆSIDIO

publicæ disquisitioni
subjicit


M. FRANCISCUS Kögler/

Bohemus. AUCTOR

In Auditorio Majori

Ad diem 3. Augusti Anni 1664.

14. —



WITTEBERGÆ,

Excudebat Johann. Hake.

562





UNum esse eundemque verum Deum, quem cœli æque ac terra ut creatorem suum obnixè colunt & venerantur, ii satis accuratè sciunt, credunt etiam firmissimè, quorum animos divina clementia splendidò sacrarum literarum lumine illustravit. In id v. mysterium introspicere quibus ob negligentiam non contigit, eos non rarò tantis involutos fuisse crepusculis, ut num Deus sit, variis cogitationū fluctibus impulsī dubitare modò, modò (quò facilius nullā numinis reverentiā retenti male agendo cursum cœptum absolverent) prorsus negare fuerint ausi, neminem fugit. Interim quilibet saniorum nobiscum in hanc it sententiam, ne unum dari (an possit, hîc non est dicere) qui solidioris iudicii compos in totum Numinis notitiā casus sit. Quippe cùm hoc ipsum & ethnici, quibus meliori de lutò finxit præcordia Titan, negarint nunquam. Eleganter non minus, quàm piè in hanc rem scribit Cicero; *si essent, qui sub terrâ semper habitassent bonis & illustribus domiciliis, nec tamen exissent unquàm supra terram: deinde aliquo tempore patefactis terra faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hac loca, quæ nos incolimus, atq; exire potuissent: cùm repente terram & maria cælumq; &c. vidissent, profectò etiâ Deum esse & hæc tanta opera Dei esse arbitrarentur.* Nec à veritate recedit, quod Joh. Sperlingius habet; *per (creaturarum contemplationem) gentiles eousq; venère pietatis, ut Deorum plena esse omnia dicerent.* Et Galenus de hist. Phil. idem diversis saltem verbis exprimit; *ex pulcritudine mundi cognoverunt homines primùm Deos.* Inde factum, quod mundus Basilio in Hexaëm. τῆς θεογνωσίας τῶν δευτέρων, aliis epistola Dei ad genus humanum missa, animarum rationalium schola, rerum liber, templum Dei sacrerrimum appellatur. Utur verò à creaturis possit peti divinitatis notitia; satis tamen imbecillem esse fatemur, quæ vix primis labris delibavit Dei Majestatem. Quicquid n. de eò naturaliter cognoscimus somno simillimum vocamus cum Jac. Martini. Quod cum ita comparatum sit, non sine causâ Homerus in alterâ Iliados Rapsodiâ Jovis nuncium & manifestatorem fingit somnium; *ὅς δὲ οἱ χεῖρ ἡμῶν αἰεὶ φάνετο βυλῆ, πῆμψαι ἐπ' Ἀρείδῃ*
Α. 2
Αγα

Αγαμέμνονι ἔλον ὄνειρον, καὶ μιν φωνήσας ἕπεα πτερόεντα προσηύδα. Quāvis igitur & animis mortaliū in sculptā entis augustissimi notitiā ejusq; vestigia in omniū rerū opere relicta cōstāter asferamus, nullatenus tñ, propter objecti sublimitatē & subjecti exiguitatem haurire sufficientem valemus cognitionē. Nos interim pro ingenii viribus investigabimus te, Deus, in artificio tuō, in quō tanquam involucro quodam lates absconditus. Fac, ut te inveniamus, inventumq; plenō affectu retineamus!

An detur Deus è naturæ libro investigabilis? Circa statum controversiæ obs. I. dist. esse inter nomen Dei prout *abusivè* sumitur ac per analogiam proportionis Idolis gentilium aliisque creaturis, quas ad gloriæ fastigium evexit nobilior potentia, tribuitur: & prout notat *ens entium* à quo omnia, quod ipsum à nullō, adeoque & terminis à quo & ad quem destituitur. de hoc sumus solliciti.

II. Inter cognitionem innatam & æquisitam. Illa dicitur quoq; naturalis, non prout signat notitiam Platonīcam, quā non tantūm Dei, sed omnium etiam rerum imagines animam nostram possedisse, antequām in corpoream molem detrudatur, credidisse Plato perhibetur: Nec prout indigitat inchoativam cognoscendi facultatem, quæ est aptitudo & facultas quædam naturalis per discursum ex accuratiori naturæ contemplatione petitum se exerens; sicut Metaphysices cognitio aut Logices nobis naturalis est: Sed prout inhæsitivam notat & habitualement, quā ita instructus est hominis animus, ut nec speciali Dei revelatione opus habens, nec præceptorum informatione aliisque intercedentibus auxiliis, proprio Marte quamprimum simplices apprehendere terminos eosque componere potest, dari Deum indubitatō intelligat. Non hoc volumus: ac si infans in lucem editus statim suis viribus conceptum de Deo sibi formet; sed quod habitum cognoscendi Deum possideat quidem, in actum tamen non deducere queat, antequam robustior accedat ætas, rectoque rationis iudicio uti discat. Ut n. principia alia cūm theoretica tūm practica à primis ungviculis possidet, neque ramen iisdem utitur: ita cognoscibilitate
Numi-

Numinis instructus est, neque verò eam usurpat, donec compos mentis evadit, latet igitur habitus ille sub teneræ mentis imbecillitatibus: ceu sub cineribus igniculi. Nomina, quibus insigniri solet, suppeditat *D. Calov. in Theol. natur. & Revel. cap. 2. §. 46 & Heereb. in Mel. Phil. vol. 1. disp. 3. §. 3.* Illi est ἐμφυ-
 τικῆ, *subjectiva quæ pertinet ad κατὰς ἐνοίας omnium hominum mentibus insculptas per naturam & creationem quæq; per generationem propagatur: Huic, insita ex librò naturæ internò cognoscendiratione.* Altera est acquisita, quando Dei existentiam ex sobriâ rerum creatarum contemplatione eruimus. Hanc vocant ὁπίστητον & *objectivam, quæ dependet ab illis (scil. naturalibus) notionibus & primis cognoscendi principis & elicitur intuitu creaturæ per sanam rationem: nec non acquisitam ex librò naturæ externo naturaliter cognoscendi rationem.* Propagatur autem per institutionem & doctrinam aliorum, tum per indagationem & culturam propriam. De utraque quæstio instituitur, ita tamen ne confundatur θεογνωσία ἐνέργητικῆ (actualis habitualium notitiarum usurpatio) quæ fit per species expressas à mente formatas, cum ἐκτικῆ s. habitu impressò, quem maiores facti satisque conscientiam examinantes exercent.

III. Supponimus mentem nostram neque planè esse similem tabulæ nudæ, ut ante primævam intellectionem nulla species impressa sit in intellectu, ut sensisse volunt Aristotelem (vid. lib. 3. de anima cap. 4. *D. Calov. l. c. & Heereb. aliosque passim de sententia Aristotelis disputantes*) & Peripateticos. Neq; tabulæ exaratae, ut sic omnia sciret anima solò indigens ad reminiscendum extrinsecus irritamentò, ut Plato in Phædrò, in Menone & 10. de Rep. professus est: Sed menti quarundam saltem rerum notitiam merè habitualement in generari, quæ κατὰ ἐνοίαν, πρῶτα φύσεως, πρῶτα δὲ καὶ κατὰ πρῶτα ὁπίβολαυ audiunt.

IV. Inter quæstionem quæ circa τὸ ὄτι & eam quæ circa τὸ τί ἴσθι. Illam proponimus, non hanc: scil. an homo discursum ratiocinandi formare valens naturaliter sibi que relictus scire possit; quod sit Deus: Non v. quid & quis sit Deus.

V. Triplex à Scholasticis ex Dionysio traditur modus (vi-
 am vocant alii) DEAM cognoscendi. Primus est Negationis,

quando à Deo removemus ac de eò negamus omne id, quod
imperfectiorem importat. Atque hoc fit, quando imperfecti-
ones creaturarum additione alicujus negationis de Summo
Bono tollimus, ut dependens esse, aut finitum. Ubi notandū ;
voces quidem esse negativas ; attamen formales conceptus esse
positivos h. e. rei positivæ. Est negatio termini, non rei. Dist.
autores *inter negationem quæ necessario inest, & quæ contingenter.*
vid. Scheibl. Met. part. spec. lib. 1. cap. 1. Tit. 2. art. 3. Alter mo-
dus est Eminentia, quando perfectiones, quas in creaturis de-
prehendimus certo modo ac gradu finitò, colligimus in Deo
omnium rerum perfectiones per infinitatem exhauriente esse
sine gradu, sine modo ; sed omni modo aut gradu perfectissi-
mò. Quemadmodum perfectio nobis est, esse sapientem. Ne-
mo tamen nostrum scientiã suã scit omnia, quia & sapientia
nostra sæpe nos fallit ; quare hanc quidem nostri perfectionem
Deo etiam ascribimus ; sed concipientes multo clariorem sapi-
entiam, quã omnia scit infallibiliter. Tertius est Causalitatis,
quando ex effectibus finitis cognoscimus Deum factorem infi-
nitum, adeoque non immediatè, verum mediatè. Placeat
hic Ciceronis judicium ; esse præstantem, æternamque
naturam & eam suspiciendam, adorandamque hominum ge-
neri, pulcritudo mundi, ordoque rerum cœlestium cogit con-
fiteri. Nos apprimè in viã causalitatis versamur.

VI. Inter ignorantiam juris & facti : vincibilem & invin-
cibilem. Quilibet ratiocinationis facultatem nactus tenetur
scire, Deum esse, quia ipsi monstrat conscientia ; Deum esse. It-
aque vincere potest ignorantiam, rectæ rationis dictamini sal-
tem assensum præbeat. Unde ulterius distingve inter lumen
naturæ præconceptis opinionibus obfuscaturum, & in libertate
suã relictum. Fatemur sanè cetera doctissimos viros in multis
vertiginem passos esse : Dum naturæ evidentioris limites de-
seruerunt ac toto interdum cœlò errarunt. Nobis impræsenti-
arum sermo est de liberã mente nullis præjudiciorum ergastu-
lis circumductã, quæ altiùs evolando solùm in meditationibz
philosophicis naturam consulit, ejusque ductũ veritatem enu-
cleat. Ergo quæritur, num reperiaturs Atheus speculativus re-

vera destitutus omni Numinis sensu, non an Practicus. Post hæc
concludimus:

*I. Datur Deus ex Natura libro interno co-
gnoscibilis.*

I. Pro stabiliendâ sententiâ urgemus cum autoribus consen-
sum omnium populorum, quorum plurimi mentis oculos a-
peruerunt confitentes, unum Deum infinitis virtutibus præ-
ditum: Plurimi verbis factisq; negarunt quidem; sed adver-
sum conscientiæ stimulum. Aliud senserunt: aliud egerunt.
solenne Ciceronis lib. 2. de leg. circumfertur testimonium;
*nullam gentem extitisse tam feram, neminem omnium tam immanem,
cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*: licet incertum sit sæ-
pius, qualis divinô cultu venerandus, ut innuit lib. 1. de Nat.
Deor. & lib. 2. in hæc erumpit verba; *esse Deos perspicuum est: ut
qui neget, vix eum sanæ mentis existimarem.* Idem perhibet;
*Constat inter omnes, non Philosophos solum, sed etiam indoctos,
Deum esse.* Nec alieno est Arist. lib. 1. de cœl. *ἡ δὲ φύσις τῶν ἀνθρώπων οἱ θεοὶ
ἵκεῖν ἐχούσιν ὑπόληψιν.* Sed singula quid referam? vid. D. Ca-
lov. in Theol. Natur. & revel. l. c. Paulus Voet. Theol. Nat. re-
for. cap. 3 p. 35, 36 & Autores ibidem citati. Nisi a. natura homi-
nes eò adduxisset, vix putamus fieri potuisse, ut omnes in uni-
versum quidvis magis, quàm non habere Deum, voluerint.

§. II Urgemus principia practica. De Theoreticis nihil
dicemus. Unde salutaria morum præcepta & institutiones apud
Gentiles fluxerunt, est sauctior naturæ instinctus. Quare ni-
mirum non tam utilitatem spectare volunt, quàm honestatem?
Quare cupiditatibus frena non remittere; sed affectus rationis
judiciô coercere student, quibus animus est secundum virtutis
amissim incedere? Nullâ aliam video causâ, quàm quod Deo
cultum debitum vitæ sanctimoniâ persolvere eumq; imitari
operam navent. Et cum discrimen faciunt inter bonum & ma-
lum, aut legitimum ab illegitimô segregant; convincuntur, ut
fateantur esse aliquid, quod delectetur ipsorum bonitate,
ejusq; causa sit. Cæterum quod malè patrant, suorum à esse affe-
ctuum τὰ ζήλια (cum non exiguum suarum cupiditatum deprehendant
imper-

imperfectionem) non obscure colligunt. sed quid opus est ver-
bis? quis ipsis hanc legem inscripsit? non ipsi: quia effectuum
lucta aliud suadet, ut potius vitiorum, quam virtutis nutum se-
quantur. E. Autor naturalis legis (ad quam potissimum spe-
ctat cultus divinus & dilectio) est humanae mentis conditor.
Cum itaque legem animo inscriptam legunt, ad legislatorem ut
dominum suum suspiciant necessum est. Etiam effectus hic, sive
primus virtutum stimulus, cum communis sit; recte inferimus
causam omnium hominum communem, quae non nisi Deus.

III. In sitam Dei notitiam confirmat conscientiae testimo-
nium. Homines ab omni institutione remoti adeoque feri & bar-
bari in benefactis laetitia & tranquillitate animi, in rebus ma-
le gestis tristitia & anxiiis curis agitantur. Et quamvis etiam nec
superiorem timere habeant magistratum, ut summi rerum do-
mini, cur commisso scelere langvent? ob penas ipsis infligen-
das. A quo? Deo. ἐν τῷ γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν
juxta Hesiod. Secundum normam ac praescriptum iudicii pro-
be consultantis agentes laetitia affunduntur. Quare? responsio ex
Horat. lib. 1. Ep. 1. patet; *Hic murus abeneus esto: nil conscire sibi,
nulla pallescere culpa.* Reponitur tamen in Exerc. Met. B. Iacob.
Mart. *hanc rationem ad persuadendum utilissimam esse, particu-
larem tamen: siquidem non Deum duntaxat, sed quamlibet vim su-
periores & fortiores timeamus, imò ipsum diabolum reformida-
mus.* Resp. Positum, quod superiorem timeamus, (omnes a supe-
riorem in Republ. formidare jejunum est) variari potest, quare
id fiat. videlicet quia Majestas legem naturae observati ac statu-
ta inde deducta custodiri vult. Sed cur hoc facit? quia meli-
or eam natura instigat, ut illibatam protegat honestatem. Quid
opus ad diabolum confugere? posito, quod eum timeamus patris
sceleribus. Quid. v. gaudii sentiat cor nostrum, cum bene agimus?
Quod à Diabolo expectare habemus castae vitae praemium? quam
arduae virtutis remunerationem? sed cum Dei cognitio longe
propinquior gentilibus, cur ad diabolum, quem pauci credide-
runt, accedant omnes aut plurimi? Deinde dist: inter id quod ti-
memus mediate & immediate, per se & propter aliud. Magistra-
tum atque diabolum timeant propter Deum & immediate. Non
ignorant enim Deum recti amatorem & probri vindicem su-
pre-

premiū in se habere potestatem. Quia ejus justitia unīversalis est, se ad omnium facta extendens. Tandem quid fiet, si ponam homines duos in deserta loca delatos, quorum neuter ad suam redire posset civitatem: ponamus etiam neutrum scire Diabolo esse, hoc n. fieri potest. Sed unus alterum occidat. Conscientia factum an collaudabit? an, præprimis si tempestas oriatur horrendaq; tonitrua sonarent, [quæ Caligulā Deorum illusorem teste Suetoniō, metu consternabant,] an practico syllogismo incedet; qui malè egit, pœnas luat? Quem timeat, est nemo. Ipsi tamen quæ sententia surget, iudicet, qui velit. Testis est vita tot innocentum cruoribus imbuta, quanti feceris cœli terræq; gubernatorem, Nero: quam anxie manibus pedibusq; proculdubio dedisses operam ut primò quoq; die omnis numinis cognitio ex animo radicitus effoderetur. Ne crudeliter sævienti terrorem inrerdu mitteret obviam. Sed trepidas, postquam matrē Agrippinam per Anicetem occidisti. Bono tamē sis animo: acquiesce, Nero, in militum & senatūs populiq; gratulationibus. Omnes te hoc etiam post facinus amore amplectuntur. Insidias struit nemo. Frustra: verberibus furiarum & tædis ardentibus tua laceratur conscientia. Ut vero alium, quàm Deum extimescas, vix deprehendimus.

Concl. II. Datur Deus ex Natura libro externo investigabilis.

Argumentum generale primū ducamus in medium: Ens à quō in esse dependent omnia, quæ in totā mundi machinā realem, positivam actualemque habent essentiam, est Deus. Sed unum omnibus modis absolutissimum est Ens, à quō inesse dependent omnia, quæ in totā mundi machinā realem, positivam actualemque habent essentiam.

E. Unum omnibus modis absolutissimum est Deus.

Maj. prob. I. ratione Subjecti. Dicamus (quod ad Min. demonstrabitur) esse quoddam causalitate influens in omnium rerum actus essendi: ultrò sequetur, illud esse ens. Nam ut non entis nullæ sunt affectiones: ita è contrariō entis erunt affectiones. Positis itaque operationibus, ponitur essentia, ponitur

B

ens,

si creator est Ens.

ens. Sicuti remotis attributis summè necessariis removetur es-
sentia, removetur ens. sed quando ponitur influxus causalis,
ponitur affectio. Ergo etiam ens aderit, cui laudata proprie-
tas convenit.

*¶ ens cre-
ans est in-
finitum.*

II. Ratione prædicati. Supponimus iterum, tanquàm pau-
lo post demonstrandum; totam mundi machinam cum omni-
bus partibus ab aliquò principiò fluxisse. Hinc in eò nunc còtro-
versia cardo vertitur; Nū tale principiū citra dubitationis a-
leam sit constituendus Deus, h. e. illud Ens, quod est summè
perfectum, quò nihil majus aut perfectius, aut sublimius aut
augustius excogitari potest, quodque summum Numen ap-
pellare consuevimus, ut loquitur Paul. Voet. in Theol. reform.
cap. 3. p. 9 §. 1. Vel (ut videre est ap. Svarez. disp. 29. Met. sect. 2.)
ens supremum, infinitum & omni modò independens, quod o-
mnia alia superat, omnium est autor & ab omnibus ut supre-
mum Numen amandum & venerandum; Ubi dictus autor cò-
ceptum hunc vocat confusum, vulgarem & quasi primum, què
nomine saltem auditò de Deo formant homines. Nos ab af-
firmantium stamus partibus hòc ducti ratiociniò: Si datur ens
factum, dabitur ens non factum. At prius est per infra dicen-
da E. & posterius. Maj. constat quia ejus contradictoria indu-
cit progressum in infinitum. Sed ab hoc causarum ordo ab-
horret vid. Arist. lib. 2. Met. c. 2. Mendoz. disp. 10. Met. Jac. Mart.
Exerc. Met. lib. 2. ex. 4. theor. 1 Etenim si causæ essentialiter sub-
ordinatæ essent infinitæ, omnes essent instrumentales (s. se-
cundæ) nullæ principales. Cùm plures infinitæ causæ simul sta-
re nequeant, ut quælibet sit infinita & æque prima s. principa-
lis. E. una erit prior, reliquæ posteriores, & tamen omnes in-
finitæ. Ridiculum! conf. Casp. Ebel. Met. part. spec. disp. 3. sect. 1.
art. 1. Eapropter relinquitur aliquod ens non esse factum, & à
se esse negativè habens. Id v. vel ex præjacente materia for-
mavit creaturas, aut ex nihilo. Si ex materiâ: vel illa est ha-
bilis, inhabilis. Si habilis; quæri potest, cui partim materia
ipsa natales debeat, partim cui habitudo, quâ hoc vel illud
per aliquam sui immutationem fieri queat. Inhabilis si fue-
rit, ut terra ad generandum hominem, oppidò requiritur in-
finitis

finitus actus ipsius potentiam obedientialem perficiens. Deinde supponimus etiam Ens omnium primum, ante quod nihil fuerit. Idcirco & materiam, quam fingis ortum ipsi debere necessarium est. Nisi, non citra contradictionem in appositio, plura velis statuere à quibus reliqua, quæ extra unum sunt, fluxerint. Cætera enim præter unum aut erunt, aut non erunt, simul n. esse & non esse nequeunt. Non erunt cum uno simul prima, quia ab ipso dependent. Unicus enim datur fons omnium aliorum & scaturigo. E. quò unicum autorem credimus, nec plures sunt, nec esse possunt. Sed anne hoc primum statim erit Deus? Maximè: quia elevatio non entis in statum entitatis est solius potentia infinitæ. Sed positâ hâc potentiâ, ponitur divinum Numen. Verùm in productione entis ex nihilo ponitur infinita potentia. E. ibi fuisse Deum oportet. Propositionem judicamus evidentem: Nam si virtus agendi ex essentia promanans finibus circumscribi nequit: multo magis id de ipsâ essentia verum erit, quæ mēsurâ suorum attributorum censi possit. Assumptum breviter ostendimus; cuius actionis terminus à quò & ad quem infinita se junguntur intercapedine, illa in agere eadē ablaturō requirit infinitam potentiâ. Atqui creationis terminus à quò & ad quem infinita se junguntur intercapedine. A quò est nihil, ad quem est ens positivum. Sed ens & non ens in infinitum differunt, nunquam enim citra repugnantiam irreconciliabilem naturaliter coire possunt. E. creatio requirit in agente infinitam potentiâ. Maj. constat; quò magis n. ab actu remota est potentia passiva: eo plus requiritur potentia activæ. Ex quibus inferimus; si est aliquod ens, à quo facta sunt omnia, illud est Deus.

Ad minorem Syllogismi prioris animum applicamus. Ubi duo declaranda veniunt capita, Prius; infinitum rerum sator esse Unum: Posterius; totam rerum Universitatem esse per dependentiam ab uo Deo. I Creatoris Unitas innotescit ex suâ infinitate, quam creatori convenire necessario sumus comperiti. Ex eo autem fundamento veritatem asserti eruimus h. m. (a) Quicquid est infinitum, est summum & omnibus numeris absolutissimum. Sed dari plura infinita & perfectissima im-

Si ens infinitum, est unum.

piicat. Quia perfectissimum est, quod omnium rerum perfe-
 ctiones exhaurit & superat. (β) Positis pluribus infinitis, aut u-
 num eorum excedet alterum: aut omnia erunt æqualia. Si
 prius; Excedens esset infinitum, excessa finita. Limitatam e-
 nim perfectionem agnosceret. Sin posterius; Unum infinitorū
 exhaurit alterius profunditates virtutum. Sed hoc ipsum est cō-
 tra naturam infiniti, quod nullo se commensurari patitur am-
 bitu. (γ) si plura darentur infinita, unum ab altero ultimato di-
 stingui deberet. Esse n. aliud ab alio, & ab eo non distingui,
 sed cum eo confundi contradictorium est. Dicamus, quæso,
 duo esse infinita. Jam per quod distinguerentur, esset perfe-
 ctio infinita fluens ab essentia incomprehensibili. Illa v. perfe-
 ctio non erit in utroq;. Alias per eam non possent distingui:
 sicut rationalitas sejungens brutas bestias ab hominum con-
 sortio in unâ saltem specie deprehenditur: item individuatio
 Petri, quâ ab aliis numericè distinguitur, in Paulo, Johanne,
 &c. esse nequit. Ex quibus oppidò patet, in uno infinito po-
 ni quandam perfectionem, quâ ab altero discernitur, & cujus
 particeps non fit alterum. Quod, cum propter defectum uni-
 us perfectiouis ab infinitate recedat, ostendit suo exemplo u-
 num saltem existere infinitum.

*Sed est
 Ens crea-
 tor omni-
 um.*

Alterum ratione firmandum se offert, omnia, quæ extra
 unum sunt, ab uno esse per dependentiam. Prob. I. A possibili-
 tate. O. finitum, si rationem factibilitatis habet, ab infinito
 traxisse potest originem. Sed quod est extra ens unum est fi-
 nitum. E. Quod est extra unum, si rationem &c. Maj. illu-
 stratur; cujus essentia & vis operandi nullis includitur termi-
 nis, illa se ad omnia extendere potest. Alias terminos agnosce-
 ret & finita fieret. Min. è dictis constat, & è dicendis constabit
 uberius.

II. Ab actualitate. Argumentamur. Si omnia in universò non à
 se, E. ab alio sunt, quod à nullo. Sed prius est. E. Min. prob.

a. autoritate celeberrimorum Philosophorum, qui uno ore
 professi sunt, res quasvis à Deo productas esse, tanquã causâ
 principalissimâ. Ut Trismegistus in Poëmandro & Plato in Ti-
 mæo. Quibus addatur Orpheus, Homerus, Hesiodus, Empe-
 docles,

docles, Parmenides, Æschylus, Sophocles, Euripides, Aratus,
Virgilius, Ovidius. vid. Morn. de verit. Rel. Christ. l. 7. Ubi qui-
dem concedimus originem mundi obscuratam fuisse, postquã
invaluit Aristotelis de mundo æterno docentis autoritas. Atta-
men ipsum statuisse Deum perpetui orbis motorem censent Jac.
Mart. in Ex Met. Heereb. in Pneum. Scholasticorum plurimi.
Quibus omnibus obvertit Voetius; sensum philosophi aliò in-
clinare, quàm à Philosophis Christianis explicatur. Conf. D.
Calov. in Theol. nat. & Rev. l. c. cæterum quid senserint veteres
circa hoc negotium vid. ap. Lactant. in libr. instit. Theophi-
lum in tribus lib. contra gentes, Tatianum & Iustinum contra
gentes, & Clementem contra easdem & in Stromatis.

β. Ratione Quò res evidentiùs pateat, concedatur mihi,
ut in hominis (scil. materiam demonstrandi Deum à se quemvis
posse petere lumus persuasi) auspicia inquiram. videmus n. ~~un-~~
um ab altero generari, homines ratione individuorũ multipli-
cari, diminui quoq; ex societatibus simplicibus surgere compo-
sitas; mox iterum decrescere, donec veterum memoria prorsus
extinguitur. Quari igitur potest, unde ultimus? à parentibus.
Unde illi? ab avis & sic porro, usq; dum ad duos unicè residuos
perveniamus in quibus mortalium stirps in ascensu terminatur,
indescensu incipit. Sed unde illi duo? An ab elementis? R. pri-
mò: productio hominis est ultra spherã activitatis elementorũ.
Effectum n. multò nobiliorem suã causã haberemus, non ne-
gamus equidem ad hominem concurrere elementa; sed ut cau-
sas generales, remotas, partiales & naturã inadæquatam. Et, quid,
si corpus vel maximè conflare queant: quĩ tamen animam ratio-
nalem gignent? quĩ partes essentielles component, ut inde di-
versa species oriatur? Secundò concursus elementorum, dum
absolvisset hominem, aut salutabitur actio libera aut naturalis.
Si libera: elementa erunt animalia rationalia, quod absurdum,
erunt ratione animæ intellectualis nõ annihilabilia, quod phã-
tasticum Si naturalis, cur non ex se & sola hodiernum consti-
tuerent homines? Naturalem enim potentiam reservarunt, quæ
etiam nisi à superiori agẽte impedita semper suas edit operatio-
nes sed nusquam hõc pacto natos vidimus homines: nisi quidam
generarent ac quidam generarentur Forsan, inquis, alius qui-
dam

dam spiritus, quem non statim Deum esse oportet, initio par
hominum produxit, desumptâ ad id operis materiâ elementari.
R. Ex materiâ inhabili (solum enim semen aptum natum vide-
mus, ut inde nascatur homo) aliquid facere, est itidem potenti-
æ infinitæ, quâ illa ineptitudo tollatur. Et unde animam desū-
sit? num creavit? est Deus. an generavit? est corporeum quid. τὸ
πρῶτον εἶναι ἀσάρκα aliunde constat. Quomodo in rude ac
indigestum corpus (quod ex simplicibus corporibus coagulatum
fingere liceat) animam detrusisset, utraq; per unionem essen-
tialem combinasset? Et unde ipsi illi spiritus? Nimirum si plu-
res, simul per præcedentia infiniti non sunt. Ergo alteri esse
suum debebunt. Deniq; refers; quid si homo & universa mundi
machina simul cum speciebus suis ab æternô extiterit, aut ita
ut a nullô creata fuerit? R. Hoc ἀδιαιτόν ἀδιαιτόν. Aut n. per
mutuâ causalitatem se invicem produxissent omnia: aut neutrum
ab altero participaret causalem influxum: tertium non datur, nisi
unum ab alterô productum velis, ubi prima causa in ordine erit
Numen supremum. sed si prius; *Unum produxisset (statuamus cū
Arriaga i Part. disp. 2. quatuor entibus constare mundum) secū-
dum, secundum tertium, tertium quartum: quartum tertium, ter-
tium secundum, Secundum, primum.* Quæ omnia vitio in corrigi-
bili laborant. Sic n. quartum produxisset tertium. sed tertium jã erat
dū produceret in primâ serie quartum & à secundo produceretur.
Ergo dūm est (quia producit) nō est, (quia producitur. Si poste-
rius; Dicto adversa tur tot seculis roborata experientia, ita etiã
accidere repugnat. Unde n. rerum augmentatio, nisi remotè
ab elementis? unde diminutio nisi dum elementa resu-
munt, quod ad corpora mixta contulerunt. Nemo et-
iam negavit unquam mixta corpora à simplicium integra-
ri concursu. Tandem obvertis; quid impedit, quò minus sim-
plicia à se sint, ut cœlum, terra, aer? Resp. Hactenus habemus,
quòd causa omnibus entibus eminentior & infinita elucescat è
generis humani productione. Filum igitur disputationis ab-
rumpere possemus. Vis tamen simplicia a se esse corpora, sta-
tuas ea etiam causam superiorem necessum est. Aut si superiorē
iis concedis, habeo, quod volo, scilicet ea ab alio esse, quod à nul-
lo. Inferius n. à superiori dependere tota monstrat natura. Sed
hoc

hoc dubium in sequentibus pluribus refutabitur. Caterum elementa sibi relicta nequeunt producere hominem aut bestias, prorsus ab iis anima immortalis præprimis dependere nequit, dantur insuper & alii spiritus finiti completi, qui pari modo potentiores causam profitentur.

2. Quod à se est, l. positive à se est, l. negative; illo modo se ipsum producendo per verum influxum nihil fit. Hoc modo quod à se est, summè perpetuum est, quod à nullo & à quo omnia. Nam compositionem ex actu & potentia negat. Primò quia ejus potentia à nemine actuata est: Secundo, quia à se est, & ad nullum actum suam Naturam refertur. Sed hoc de elementis $\phi\psi\alpha\lambda\mu\phi\alpha$ $\nu\epsilon\rho\omega\varsigma$ falsum. constant n. materia & forma: sunt ut possint non esse, cum in se sum minimè sit dicere, omnis forma essentialis è materia tolli potest: ita ut ex quibus aliquid componatur, in illa denuò resolvatur. E. à se non sunt, quia non summè necessariò sunt.

3. Si à se sunt, vel modo finitò à se sunt: & sic inceperunt aliquando & intempore. sed unde possibilitas, ut in illò temporis punctò talia fieri non repugnasset, ortum traxit? Explicari nequit: nisi infinitatè somnias. Ubi prorsus nihil est, ibi more finitò fit nihil. Vel infinito: sic ex corporibus facis multa entia infinita. Nam infinitam potentiam à se haberent, ut à se fierent. Sed hoc ipsum cum infinitate pugnat, quia quod eà instructum est, nunquam fit, sed semper est.

4. Si quedam à se, essent æterna scil. omne quod in tempore fit, ab alio fit. Aliquando fieri, pugnat eum $\tau\omega$ esse à se & temporis spatium æternitate posterius importat: Et vel aliquando à se fit aliquid positivè non agnoscendo aliã extrase causã, quod $\alpha\tau\omega\omega\upsilon\varsigma$: vel negativè, et sic non fit; sed est. Fieri aliquando, causam prærequirit. Aliquando à se fieri negativè, incongruum est. Nam in tempore & modo finito fieret, quod falsum esse, demonstravimus. Quare corpora illa dum à se esse fingis, æterna fingis. Sed nihil nisi infinitum est æternum. Totum universum infinitum non est. E. nec æternum. Maj. certa est: quicquid est æternum est ratione durationis infinitum & interminabile. At infinita æternitas arguit infinitam essentiam. Attributa enim postulant essentiam proportionatam, vid. Voet. Theol. nat. ref. p. 21. Ex quibus omnibus certiores sumus, mundum non à se, verum primordia duxisse ab alio, quod aliquando ex nihilo creavit universa. Hoc a. est ens infinitum, est unum, est Deus. Quod erat demonstrandum.

Antithesis.

Conclusioni primæ obstant in genere negantes principia in nata & in specie Dei notitiam insitam. Timpl. l. 3. Met. c. 1. qv. 9. cap. 2. q. 2. Conrad. Vorstius in Not. ad disp. 1. de Deo Scalig. exerc. 307. sect. 18. Burgersdicius l. 2. Met. c. 4. th. 1. & 2. Socinus in præl. Theol. innatam æque ac acqui-

siam

95
114
660
ficam negans. Huc trahi potest Ren. des Cartes, qui veterum quascunque
contra Ethnicos adductas rationes non sufficere, argumenta invalida,
clumbia & ficulnea vocat in Ep. ad Voetium, quem conf. in theol. Nat.
ref. p. 25. Non a. rem vult negare; sed demonstrationem.

Obj. I. Burgersd. locum Arist. *Anima est tabula nuda in qua scriptum
est nihil, sed quidvis inscribi potest.* Resp. Hereb. Locus Aristotelis huic o-
pinioni non patrociniatur; nam intelligendus est ratione specierum intelli-
gibilium & completis, s. actualis cognitionis illius ad quam naturaliter aptus exi-
stet intellectus & quasi in proxima est potentia; eam tamen impressam non
habet. Verum alii mentem Philosophi ex propriis confessionibus expli-
cant aliter, ut supra dictum. Quam disputationem nostram non faci-
mus. Aristoteles nobiscum si non sentit, adversarius est. Argumentum v.
ab eo contra nos petitum non ratio; sed autoritas confirmat. Hinc primo
conflictu cadit.

Obj. II. Ostorodus; si cognitio naturalis esset, utiq; apud omnes homines
eadem inveniretur. At falsum posterius. E. & prius. Socinus Min. probat;
Quia in novo orbe occidentali, Brasilia & alibi integri populi inventiuntur,
qui nullum penitus sensum aut suspicionem Deitatis alicujus habent. Pro qua
sententia faciunt Diagoras Melius, Bion Berystenites, Theodorus Cyre-
naicus negantes Deum, & Protagoras de eo dubitans. Resp. I. Non sequi-
tur negarunt quidam. E. nullis insita est Dei notitia. Multo plures affirma-
runt. E. non paucis insita fuit. II. ad Major Principia practica cuilibet di-
stint honestatem, neque tamen omnes iuxta naturalium legum am-
sim vivunt. Multi etiam in dubium vocarunt principium; impossibile
est, idem simul esse & non esse. Sed hoc parum refert, quo minus nobis
innascantur. Min. Populos & Gentes nescivisse Deum, demonstrandum
est Socino. vid. D. Calov. Theol. nat. & rev. p. 158. seq. Nos dist. inter Dei i-
gnorantiam & negationem: inter ignorantiam simplicem & affectatam:
inter nescire & scire non Velle: inter Atheos theoreticos & Practicos.
Ceterum non negamus aliquos vixisse, qui depositam Dei veneratione ne-
garunt esse Deum. Verum ut eò liberius luxuriantes sine periculo possent
indulgere genio suo, ut Silius ap. Marc. lib. 4. Epig. 21.

Nullos esse Deos, inane coelum

Affirmat Silius, probatque quod se
factum, dum negat haec, videt beatum.

Cujus claudere latus debet Epicurus & Epicuræorum de grege porci. Prae-
terea multi Atheismi stigmatē inuruntur à Christianis, quia sic apud Gen-
tiles legissent, à gentibus verò, quia Deos gentium pro diis non habuerunt, ju-
dice Vossio lib. 1. de Idol. c. 1. saniores etiam Philosophos non tam Deum unum
quam Deos ethnicorum risisse, tradit Jac. Martin. in Met. Exerc. cit. l.

SOLI DEO GLORIA.

